

cum , qui appellatur Catholica , eisque navigiis eunti-
 bus & redeuntibus Bondimerium Padanae classis praese-
 ctum esse praesidio iusserunt , ne quid eis Alfonsus in iti-
 nere noceret . Gradonicus in Taurisanis legatus de Lau-
 rentii & Vitellii multae virtutis hominum consilio , ut
 oppidum communiret , magnam curam & diligentiam
 adhibebat : muros reficiebat : e turribus , quae in iis
 erant veteri consuetudine altiores , quam praesens rei mili-
 taris ratio postulabat , superiorem partem detrahebat : fos-
 sas latiores & profundiores faciebat : aggerem construe-
 bat : extra oppidum per quingentos passus tecta diruebat ,
 arbores succidebat ; ut nihil aut prospectui , aut ejacu-
 landis tormentorum pilis obesset . Aqua Silis fluminis ,
 quod flumen oppidum interfluit , ut in oppido sustineri
 posset , quae hostibus accedentibus effunderetur ad omnem
 circa oppidum regionem submergendam , alveos e lateri-
 bus solidissimos cum ostiis lapideis plurimis , ad quam-
 vis vim aquae brevi evomendam , concamerationesque sub
 mœnibus perque aggerem firmissimas exaedificabat . quod
 opus magna impensa postea perfectum expletumque ejus-
 modi nunc quidem est , ut neque pulchrius & elegan-
 tius , neque aptius atque accomodatius quidquam ullum
 ad oppidum muniendum & tuendum aliis in locis fere
 conspiciatur .

1511
*Taurisum
 munitur .*

Hostes autem , quorum erat numerus prope viginti
 millium , ulterius per Vicetinos fines progressi , incen-
 diisque omnia fœdantes , Camisanumque maxime , totius
 agri plenissimum vicum , ut incendia usque Patavio pro-
 spicerentur ; Bassianum oppidum ceperunt , diripuerunt ,
 virgines violaverunt . e quibus tamen equites Epirotæ
 reipublicæ extremum agmen aggressi , triginta captivos
 Patavium , unde venerant , intulerunt . In iis Hiero-
 nymus Posterla , Mediolanensis civis , homo satis dives ,
 fuit . Interea Justinianus , quem ad Maximilianum fœ-
 deris ineundi causa missum a Senatu dixeramus , cum re-
 giis procuratoribus colloquutus , cum ii se ad illum non
 semel contulissent , spretisque quas afferebat conditioni-

H. Bembi.

E e 3

bus ,